Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2781

Quelle:
Copyright:

tum, id est, *Jacobum* I. regnoque ab a. 1398. ad a. 1432. praefuit. Cujus porro nomine *Gasparinus* orationem hanc scripserit, colligi nequit; esse vero illius, cum stilus, tum alia ad *Regem* hunc *Oratio*, quae in editis p. 33. habetur, evincit.

VI. *fol.* 7. p. 2. Paullo ante memorata *Oratio* ad Regem *Ianum Cypri*, in editis, ut dixi, p. 33. Incipit: *Tandem Rex serenissime, quod a superis immortalibus* &c. et est ejusdem cum superiore argumenti.

VII. *fol.* 8. p. 2. *Oratio*, ut fert Titulus in editis p. 36. *ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani ducem*, laudum et gratulationis plena, habita notante *Furietto* ad finem an. 1412. Ejus initium: *Quantum tue felicitati gratulor Illustrissime dux* &c. Ad calcem unicae huic Orationi nomen autoris adscriptum est, scilicet: *Per magistrum Gasparinum ad dominum Ducem Mediolani.*

VIII. *fol.* 9. p. 2. *Oratio* ad Senatum *Mediol.* dum *Jacobus Casteglorus* (Casteglionus?) ejusque Vicarius *Beltrandus Paganus* praetura decederent, sufficereturque *Maffeus Gambrea* (Gambara?) laudes horum Virorum, ipsiusque Ducis complexa, cujus initium: *Quantas patres conscripti huic nostro serenissimo principi gratias habeamus* &c. Non innotuit haec *Gasparini* Oratio *Furietto*, uti nec sequens.

IX. *fol.* 10. p. 2. *Oratio in laudem Philosophiae*, diversa a tribus illis, quae in editis habentur p. 40. 53. et 55. atque hujus exordii: *Nisi vestra singularis ac egregia sapientia patres amplissimi sepe alias et maxime hoc tempore adhortata me fuisset* &c. Praemissam fuisse interpretationi *Aristotelis de Anima* exitus demonstrat: *In qua* (de ratione Animae parte) *cum principem sicut multis aliis in rebus aristotelem habeamus, a nobiliori parte ejus ac meliori initium faciens ea que a vobis percepi, patres doctissimi, grauissimis iudiciis vestris subiciam.* Censu itaque inito IV. hic habes perelegantes *Gasp. Barzizii Orationes* nondum editas, quas si iis Opusculis, quae Ill. *Mazzuchellius Scriptt. Ital. Vol.* II. P. 1. p. 502. ἀνέκδοτα enumerat, junxeris, dolebis fortasse, *Furiettum* in colligendo non plus morae sibi indulsisse.

X. *fol.* 12. Sermo Anonymi de *venerabili Sacramento* in illud *Ps.* 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum* &c. qui incipit: *Tria sunt Preconia, ex quibus principes solent principaliter commendari* &c. et finit: *cujus satietatis participes nos efficiat ihesus christus crucifixus Amen.* Barbarus, si cum praecedentibus *Gasparini* conferatur.

XI. *fol.* 23. Sermo Anonymi de *Spiritu S.* ejusque a Patre Filioque processione, qui incipit: *Orandum est semper, beatissime Pater, saluatore christianorum dicente, quoniam oportet semper orare* &c. In Concilio quodam habitum fuisse, sequentia produnt: *Ut fiat ecclesie labentis renouatio congregasti pater beatissime sublimissimorum preclarissimorumque prelato-*